

tionem, utrum duo illi aphorismi rationi & experientiae sint congruentes. Rationes nobis suggerat ipse Hippoc. lib. 5. aph. 39. & Galen. in commentario: dum duplicem proponit causam convulsivis, ex repletionem & inanitionem, corporum scilicet nervosorum, quae si repleta humoribus crassis ac pituitosis, ut spasmus succedat, & huic febris superveniat, quae suo calore resolvat ac discutiat materiam illam spasmodicam, id pro bono augurio habendum, in dispellenda convulsione: sin vero con-

vulsio febre accedat, funestum, ob exhaustum nervosi generis, quae siccitas est insanabilis. Exin vel duo illi aphorismi falsitatis arguendi, id autem de divino Hipp. Genio suspicari, sit piaculum: vel si illae rationes adductae non sufficientes, tum aliae excogitandae ad salvandam veritatem. Si illae non ad tuum gustum, desidero potiores: si quid solidi opponendum, ad illas destruendas, tum victas dabo manus. Sed nunc vela contraham, rem istam uberius tibi speculandam committens.

EPISTOLA XIX.

Contra Astrologiam vaticinam.

*Ad Dn. M. Nicodemum Strzlinum, Ecclesiastem
in summo Templo Ulm.*



Um à me efflagitatis meam sententiam atque censuram, quid de praedictionibus Astrologicis, praesertim Genethliacis, sit iudicandum, id laboris Viro amico detrectare, inamicum aestimo, quin in re etiam majoris momenti tibi gratificari sim promptus ac benevolus: idcirco animi mei cogitata, per hanc Epistolarem confabulationem, communicare libuit.

Haud invitus admitto, cum Deus & Natura nihil faciant frustra, proin caelum ab Hieron. Cardano. haud invenustè vocatur, Dei Altis, In-

strumentum, quo in haec inferiora ac sublunaria, operari solitus. Sydera à Deo Opt. Max. in hunc finem creata & caeli parietibus affixa, ut anni tempora variarent ac mutarent, subinde aliam in aëre inducentia crasin ac temperaturam, caloris & frigoris, humoris & siccitatis, ut terra progerminare & omnis generis fruges, ad sustentationem vitae animalium necessarias, producere valeat, quin deinceps à diversa aëris constitutione, variae concitentur aegritudines, & Natura imprimis humana multis ejus mutationibus obnoxia ac subiecta, exin non parum

Tc

alte-

alteretur, & cum alioqui animi mores corporis temperaturam sequantur, (quale enim temperamentum tales humores, quales humores, tales mores) ut pro diversitate hinc emergentis, homines modò lætiores, tristiore, & ad hæc, vel illa negocia expedienda, habiliores) & promptiores, reddantur, rationi admodum videtur consentaneum.

Quod autem omnes vitæ casus & eventus exin prævideri, aut prædici queant, absurdissimum autumo.

1. Cum duplex causa, naturalis & voluntaria, quæ in eo discrepant, quod illa semper agat ex necessitate Naturæ, hæc verò libera sit in agendo, agere & non agere, effectum etiam suspendere valeat. Cum autem cælum sit agens purè naturale, ergò ager necessitate Naturæ: at effectus, qui sunt liberi, à cælo dependere non possunt, cujusmodi sunt actiones & effectus civiles, ut conjugium dignitates, fortunæ: proin absolum de illis ex syderum diversâ conjunctione, judicare & certi quidpiam hâriolari velle. Cum ipsi Astrologi ultrò fateantur, syderum influentias per se & directè tantùm agere in res materiales & merè naturales. Cum actio sit tantùm inter ea, quæ genere conveniunt. Ergò cælum velut agens corporeû & materiale, solùm ager in materialia, non autem spiritualia, ut est anima & voluntas humana, Et si ex accidenti, indirectè ac

mediatè agere possit in organa corporis, quibus anima utitur, ut si cerebrum benè dispositum, etiam anima suo discursu uti & animales actiones meliùs ac expeditiùs exercere potest. Sed hæc amabò quid conferunt ad merè fortuita. Quæ non in nostro arbitrio consistunt, quàm in voluntate aliorum & extrinsecus adveniunt.

2. Ipsi Astronomi demonstrant, totam tertiam cum mari, ad cæli complexum, se habere instar puncti, cujus minutissima portio erit hic vel ille homo: quomodo amplissimæ virtutes influere possunt in angustis, illud punctum. Quam absolum, ut sydera promittant mihi, vel illi soli hoc infortunium, & non potius toti illi puncto. Videtur hoc Herculeum argumentum, contra particulares influxus, & astruendum cælum esse causam universalem, etsi specialis aliqua influenza admittenda, & hæc erit omnibus sublunaribus communis, noi. hoc, vel illud subiectum, magis afficiès: & omne agens diversimodè agit pro diversitate recipientis.

3. Cum ipsorum Astrologorum confessio, se non à priori per causas, sed à posteriori, per observationes, ad istam cognitionem pervenisse, & illæ admodum incertæ, cum falsis nitantur hypothesibus. Cum eadem cæli facies & signorum positura, quæ semel apparuit, non amplius,

vix post aliquot secula recurrat, proinde vix duo vel tria exempla, de uno casu verè contingente, adferre licebit, nec propterea ex paucis singularibus, præcepta universalia constituere, par ac æquum. Absõnum unam vel alteram observationem, ad omnes consimiliter natos, accommodare. Zenocarus de vitâ Caroli V. refert, eum in sua Genesi habuisse Capricornum in ascendente, prout etiam Augustum, Carolum Magnum, & ipsum Christum Salvatorem nostrum, quasi ad regiam dignitatem evehendi, qui in consimili cõstellatione pronati. O vanitatem! Quis sanæ mentis credat, etsi quidam sub signo Capricorni in lucem editi, ad honores regios aspirarint, tamen indubiũ, quin aliquot myriades hominum, sub eadem cœli figurâ ex alvõ materna prodeuntes, in abjectissimo vitæ genere, ævum traducere sint coacti, ut & complures Reges, in longè aliâ syderum copulâ editi. Vel exin cõstat, quàm anile, ex paucis particularib⁹ observationib⁹, construere regulâ universalem, cum illius felicitatis causa non tam à cœli influenza, dependeat, quàm ipsorũ cœlitum favore cõtingat, suum cuique Fatum destinantium. Sub eadem cõstellatione natorum, unus erit Fortunatus, alter verò calamitatibus subiectus. Si Christi Genitura, in consimili syderum positurâ, ò quam misera regia majestas; dum à Judæis

per ludibrium titulotenus Rex saluatus, sed brevi post in crucem sublatu. O temeritatem!

4. Cum domus Astrologorum non reales, sed commentitiæ: An non res mira, si Planetæ aliâ facie nos respiciant, pro sitûs diversitate, tam varius prædeat effectus, cum ex doctrinâ optidorum constet, effectus qualitatem, pro radii qualitate & Naturâ corporis irradiantis, non pro diversâ radiorum circulatione, differre. Sol enim quocunque modo & situ ejus radii dejiciantur, semper calefacit & illuminat, at si rectiores spargat, eos reflectendo, magis calefaciet, insanum igitur dogma, quod Planetæ, dum per 12. domos vagantur, ac diversimodè oberrant, alios beatos, alios miseros reddere, soliti, illorum Naturâ nequiquam mutatâ, sed solâ factâ sitûs varietate.

5. Omnis ars & scientia occupatur in iis rebus, quæ aut semper, vel frequenter contingunt, prout docentur. Cum autem Astrologorum prædictiones rarò veridicæ, ergò ipsorum ars destituta fundamento, nullis certis nititur theorematis, sed dubiis particularib⁹ observationibus, Exin Cicero lib. 2. divinat. exclamat: quid plura, quotidie refelluntur Chaldæi, quàm multa ego Pompeio, quàm multa Crasso, quàm multa hîc ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum, nisi Senectute, nisi domi, nisi claritate

moriturum, ut mihi permirum videatur, extare quenquam, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re & eventis, refelli: qui tamen omnes violentâ morte sublati.

6. Planê *ἀλλοτρίων* existimandum, à diversis parentibus pronatos, licet sub eadem constellatione, similes moribus, ac rerum eventis, cum ab iisdem progenitorum, magna sit discrepantia. Imò Geminos eodem concubitu satos & insimul utero exclusos, omnino contrariis animi moribus & rerum successibus fuisse, Jacobus & Esau luculentum præbent testimonium. Etsi obtendant Astrologi, brevissimam illam moram, quæ inter Geminorum ortum intercedit, à nobis exiguam iudicant, in cælo tamen ob eius vastitatem & rapidissimam conversionem esse insignem & magnam causare varietatem. Vanum effugium. Etenim si tam brevî mutatur ratio constellationis, sub qua quisque nascitur, tempus ipsius ortus, cuiusque hominis proprium, erit Astrologis incomprehensibile. Perquam rarò ipsa hora, nedum punctum ac momentum, quo quis ex utero prodit, à parentibus consignatur & si hora tantùm natalitia sit comperta acquiescunt, & exin thema erigunt. Ergò falluntur & fallunt.

7. Quàm frivolum, quod Saturno assignant causam brevitatis vitæ. Ad cuius effectum causæ concurrunt plures, is unicæ causæ non erit

assignandus. At omnis fatus, ut digniore vel breviori vitâ fruatur, à pluribus causis proficiscitur. Homo namque non tam gignitur à cælo, vel Planetis, quàm à particularibus ac proximis & immediatis causis, ab utroque scilicet semine, maris & feminæ, facultate plasticâ dotato, sanguine menstruo alimentum subministrante, & utero velut receptaculo inserviente. Statuamus, Astrologum cuidam sub felici syderum copulâ pronato, polliceri longævitatem, at si Pater, aut Mater valetudinaria, tum ex horum semine malè disposito, progerminabit (orta namque attestantur suis principiis.) Infans variis morbis obnoxius, quorum pedissequa mors. Ad producendos effectus, plus valere immediatas causas, quam remotas, testimonium ferat experientia, sub eadem constellatione generari morbosos & sanos. Idem iudicandum de animi moribus, qui sequuntur corporis temperamentum, quod à parentibus hæreditariò accepimus.

8. Cum præstigia illa (si fortè quædam vera) post multorum annorum seriem demum eveniant, videretur *ἀδύνατον*, influxum illum cælestem, tam diu in corpore delituisse, cum effectus tam diu non possit abesse à suâ causâ.

9. Postremum hoc Achilleum argumentum. Si in prognosticando tempestates (velut re leviori,) Astro-

Astrologi comperiantur erronei, multò magis fallaces in præfagiendo ea, quæ dependent ab arbitrio humano, & sunt fortuita. Exin ipse Keplerus famosus ille Mathematicus, palam fatetur, se propter prædictionum incertitudinem, nullas amplius Ephemerides, prout antehac solitus, publicasse, ne si aberraret, suis prælagis frustratus, ludibrio exponeretur.

Et si jam adducta argumenta sat valida, ad infringendam Astrologorum vanitatem, verum cum multa mirabilia obrudantur exempla eorum, quibus ea contigerunt, quæ ab hariolis denunciata, exin doctrina astrologica, videtur haud carere fundamento. Hunc ego scrupulum hoc modo revellerem. Et si nonnulla prædicta vera acciderint, tamen innumera etiam falsa, aut nullos, aut planè contrarios habuisse exitus, ut non tam ex artis regulis, quàm fortuito rem attingisse, existimari queat. Idem de Astrologis dici posse reor, quod olim de oraculis Delphicis tritum atque vulgatum, quæ vera, memoria teneri & prædicari, quæ falsa, eorum neminem recordari.

At ut verum fatear, dum lego exempla admiranda veridica, obstupesco, unde & cujus adminiculo, tales divinationes suggestæ.

Piererius Jesuita asserit, plerisque Astrologos, præsertim vera præfagientes, Magiæ fuisse addictos, ut

complures ab Inquisitoribus passim capti, & custodiæ mancipati, confessi, ut non tam scientiâ astrali, quàm diabolicâ revelatione, vel occulto ejus afflatu, futura prædixerint. Quamvis nec ipsi dæmones semper prænorint futurorum contingentium eventus, prout ambiguitas oraculorum indigitat: fataum proinde, id attribuire Astrologis, quod nec malis Geniis à Deo est concessum.

Si quis autem objiciat, Astrologos pietatis amantes, & à Magiâ alienos, quorum prædictiones æque veraces: huic opponerem, quod Aristoteles de Melancholicis tradit, eos multa divinare, quia multa loquantur: ita Astrologi in erigendâ Genesi, varias res prosperas & infastas, quæ cuius mortalium accidere possunt, coacervare ac conglomerare solent, ut *adversos*, qui interdum quidpiam veri contingat, cum non raro Sagittarius etiam imperitus sapiens jaculando, scopum attingat.

Probè notandum, quod D. Augustinus lib. 4. confess. cap. 3. refert: Se antè baptismum, libris Genethliacorum mirificè deditum, à quodam Medico Hipponensi Senæ ab illorum studio aversum, quod eos quibus quæstus causa, olim incubuisset, reipsâ falsissimos comperisset, si quid veri interdum respondisset, id non arte, sed sorte factum:

Tr 3

quem-

quemadmodum nonnunquam fortes, ex libris Poëtarum de prompta, interrogantis rebus factisque, consonare deprehenduntur.

Accedit, quod multi divinent ingenii solertiâ, & multiplici rerum humanarum peritiâ usuque, & exquisita eorum, quibus divinatio fit, negociorum, morum, studiorum & ingeniorum observatione atque notitia.

Adhæc Astrologorum auguria erunt vel secunda, vel adversa. Si prospera, omnibus viribus ad ea consequenda contendunt per media etiam illicita, non prius quieturi, quam potiantur intento, & sic non raro in mala incidunt insperata. De Comite Ætholiæ Hector Boëthius Hist. Scot. refert. eum Jacobum I. R. Scotiæ peremisse, & regicidio peracto, cum jam capitali afficiendus supplicio, & membratim dissecandus, capite prius coronâ ferreâ, pro ludibrio, quod Regnum affectasset, cincto, commemorasse, se vaticinium accepisse, priusquam è vitâ excederet, fore, ut publicè coronaretur, propterea semper ad ea, quæ Fata portenderent, vanâ persuasione ductus, cuncta præcipiti animo, direxisset. De Antonio à Leva Sabellicus narrat, quod author ac suavor Carolo V. ad expeditionem adversus Regem Galliæ suscipiendam obtulerit se Generalem exercitûs, ab hariolis vanâ spe illectus, quod in

Galliâ moriens, suam sepulturam, in Templo S. Dionysii, sit habiturus ratum, se poriturum victoriâ, & Parisiis, in Sacello S. Dionysio sacratum, tumulandum, proin ut immortalis sui memoriam, ob res præclarè gestas, apud posteros relinqueret, omnia sua consilia, de bello in Galliâ transferendo, communicasse, at contigisse, ut exercitu dysenteria sublato, ipse in Narbonensi quidem Galliâ mortuus, sed ejus cadaver Mediolanum in Italiâ translatum, ibidemque in Templo S. Dionysii sepultum.

Si infelicia & adversa præfagia, ea vel fortuito evenerunt, vel dæmonis revelatione & directione ac impulsione, quò curiosos & Fati sui avidos, in suâ superstitione corroborarent, & in adversa præcipitent, à quibus immunes permanissent, si vates non consulissent.

De Geminis fratribus Gothicis etiamnum adolescentibus Olaus Magnus refert iis prædictum fore, ut mutuâ cade perituri, ex in fatum illud devitare constituentes, ad longius disitas & diversas orbis regiones peregrinantes, ibidem ad decrepitam senectam usque commorantes, tandem incesserit in patriam redeundi cupiditas, existimantes tanto temporis intervallo, alterutrum mortuû & ita Fatum finitum, quod tamen viam invenerit. Nam cum ignoti Senes, in pinoso nemore con-

venif-

venissent, & mutuâ salutatione factâ, paulisper confedissent, ex insperato utriusque canes, itineris comites, acri ortâ pugna pariter & illos à verbis ad verbera & vulnera etiam lethalia progressos, atque jam in agone, se fratres, memores vaticinii, agnoscentes expirasse. Quis ambigat à Tacodamone canes impulsos ad rixam, ex in senibus occasionem suggestisse, mutuis se vulneribus conficiendi. Nec hasitarim, Deum permittente diabolo tales machinationes, ad homines temerarios Fati sui & futurorum scientiâ avidos puniendos, dum Deo suo Creatori & paternæ ejus providentiæ diffidentes, à creaturis res expetunt futuras, quæ aliàs ipsis non contigissent, si jactatâ suâ curâ in Dominum, eas nosse non desiderassent, juxta illud: quæ timet impius, in ea incidit.

De Ascleriarione Mathematico (ego potius infamem Magum crediderim) mira recenset Suetonius, quod Domitiano Imperatori violentam mortem prænucciasset, percontanti qualem ipse vitæ exitum, sit habiturus, responderit, se brevî à canibus dilaniatum iri, eum interfici sine morâ, & ad coarguendam artis vanitatem, cadaver cremari, & cinerem sepelire imperasse, dum id peractum, evenisse, ut inopiato imbre depluente, ignis extinctus, & canes catervatim accurrentes, semivivum discerpserint cadaver. Non

dubitarim, si Mathematicus ille sibi istum vitæ ternium non præfixisset, nunquam in id infortunium incidisset, sed connivente Deo, à diabolo Domitianum ad illius necem concitatum, & canes vel reales, ab eodem impulsos, vel ipsos personatos dæmones, formam canum representantes, cadaver dilacerasse, crediderim. Unicum adhuc subjiciam exemplum stupendum cujusdam Astrologi (de quo Simon Majolus Episcop. Vultuar.) quod Galeatio Mariæ Duci Mediolanensi, prædixerit, ipsum ex vulnere periturum, à suo vasallo inferendo, percontanti, quo mortis genere ipsi occumbendum, responderit: se in publico interemptum iri, ex trabe ligni cadente, ex in illum decollari præceperit, ut ex eventu convinceret, Astrologiam falsam: sed quid contigit, cum eductus ad supplicium, sub portâ magnâ, turrim lapsam, Astrologum cum carnificè, & alios concomitantes spectatores, prostravisse, ipsum verò Galeatium, in Templo S. Stephani, interfectum à proprio vasallo. An non hæc mira sunt ludibria Satânica, quis tam exors Rationis, ut credat, ista ab ullâ arte humanâ, prævideri ac prædici potuisse. Vel denique ex metu *incidunt in mala* aliàs non eventura, prout Jovius de Leonio Medico & Mathematico, eum ex suâ Genesi depræhendisse, sibi pereundum in undis, proin relictis

lictis Venetiis, ne crebrò navigandum, Spoletum se contulisse, & brevi post Florentiam, ad curandum Laurentium Medicum Ducem, evocatum, & cum constellatione Syderum fretus, morbum non periculosum dixisset, quo tamen ille extinctus, hinc cum illius valetudinem neglexisse diffamatus, ob infelicem medelam, ab illius filio Petro Mediceo noctu in puteum præcipitatus, in quo suffocatus. Ego planè mihi persuadeo, si Sydera non respexisset, quin eo casu non periisset. Haud ingratum fore duxi, si adhuc tria subnectam exempla mira & rara paucis cognita.

1. Johannes Stöflerus, Mathematicus Tübingensis, determinato die sibi periculum imminere prævidens, ad id evitandum, & tempus amicâ conversatione fallendum, quibusdam literatis in Musæum suum convocatis, cum inter pocula disputatio sobria orta, & ille ad dirimendam controversiam, bibliothecam suam accedens, librum promerret, contigit, ut clavo laxato, asser, in quo libri repositi, illius capiti incidens, vulnus lethale infligerit.

2. Cum Tycho Brahe Astrologus famosissimus, in juventute, Rostochii studiis incumbens, quendam diem sibi infaustum adverteret, interdum in Musæo suo commoratus, circa vesperam, putans Fatum jam

præterisse, domo egressus, ad cenandum apud hospitem suum, dum inter epulandum cum studioso commentale, orto litigio, ad digladiationem ventum, ut illi natus præcisus.

3. Johannes de Lignano, J.C. Bononiensis & Astrologia peritus, prævidens Filium suum de patibulo aliquando fore suspendendum ad Fatum avertendum, sacro ordini ipsum addixit, tam felici successu, ut ad Episcopalem dignitatem evectus, & cum à Senatu Bononiensi Legatus designatus & Romam ad Pontificem missus, ad hujus gratiam aucupandam, ejus commodo promovendo, magis intentus, eo comperto, quod negocium aliter, ac in mandatis haberet, expedivisset, Bononienses illum cā nocte, quā reversus, cruci affigendam mandarūt, cum sequenti diluculo, infelix Pater, fortè præteriens, suspensum conspexisset, hac usus est exclamatione: O Fili, tu infelicissimum Fatum, nec divinis ministeris, nec humanis admniculis, superare potuisti.

Indubium æstimo, si cui ex insperato, res prospera obtingat, ut felix conjugium, vel divitiæ affluent, vel ad honores evectio suppetat, ea à Deo omnium Bonorum largitore & bonis Geniis ministris provenire: Sin autem infausta, ut suspensum, vel submersio in aquâ, haud culpa rejicienda in Sydera malefica, sed

sed malos Genios, ad funesta insti-
gantes, nec illa infortunia obvenis-
sent, si astra non consulissent.

Pro colophone annectam autho-
ritates Astrologorum principalio-
rum, astrologicas prædictiones fal-
laces confitentium. Coriphæus sit
Kepplerus, qui palam astruit, tam in
genere, quam particulari, nihil certi
ex Astrologiâ prædici posse, quoad
res faustas & adversas, si qui Astro-
logi in individo quidpiam hario-
lando assecuti, id fortuitò potius
contigisse, non ex artis præceptis,
asseverare non dubitat. Exoptan-
dum, omnes Astrologos ita affectos,
ut veritas magis curæ ac cordi, quam
in prognosticando temeritas. At
quid causæ, quod plerique Astrolo-
gi tantas vanitates defendant, pro
iis ceuaris & focis, dimicantes. Ipse
Kepplerus in lib. Astrol. contra Fe-
selium Medicum Badensem publi-
cato, Astrologiam filiam fatuam
ipsius Astronomiæ, velut Matris sa-
pientis, haud infcitè vocat, quod illa
quidem ab hac fuerit nata, educata,
sed ubi adolevit filia, alimentum
matri subministrare cæperit, ne
mendicandum, aut fame peteun-
dum. Quare nî Astronomi adoptas-
sent Astrologiam, vix haberent, un-
dè suam curarent curiculam. *Φιλαρ-
γυγία* igitur Duce, sordidi quæstus
causâ, credulo ac improvido vulgò,
suas futilitates obtrudere non vere-
cundantur, scientes, cor humanum

esse φιλέκωνον & ἀψίκορον appetens no-
vitatatum & absurditatum.

Kepplero suffragatur Cornelius
Agrippa lib. 6. d. vanit. Sci. profi-
tens: se Astrologiam à Parentibus
puerum imbibisse, dein nec modi-
cum temporis & laboris in eam in-
sumpsisse, tandè didicisse, eam nullo
alio niti fundamento, nisi meris nu-
gis & figmentis imaginatiouum,
pœnitere insumptæ olim operæ, ab-
jecisse jam dudum ex animo, nec re-
assumere velle unquam, nisi potent-
ium violentæ preces, (qui soleant
interdum ad indigna artificia, etiam
magnis probisque ingeniis abuti)
sæpè rursus impingere compelle-
rent, suaderetque domestica utilitas,
se aliquândo frui debere illorum stul-
titiâ, & nugas tantopere cupien-
tibus, nugis obsequi. Cum D. Mar-
tinus Chemnitius insignis Theolo-
gus, adhuc artium Magister, Mathe-
maticis disciplinis esset deditus, & in
prædictionibus natalitiis felix ac ce-
lebris habitus, proim ab amicis co-
hortatus, ut se totum Astrologiæ
traderet, id recusavit, quod illius
fundamenta valdè sint infirma, ab eâ
recedens, ad studium Theologi-
cum se contulit. Ipse etiam D. Lu-
therus comm. in Gen. astrologicis
vaticiniis parùm tribuit, quod nullis
nitantur fundamentis, sed meris
constent incertis & particularibus
tantum observationibus.

Huc referri potest D. Augustini

Va

cxem-


exemplum supra ex libr. confess. allegatum, albo calculo notandum. Tantorum virorum autoritates, cum prædictis rationibus conjunctæ, scutum obvertant & obterant, omnium aliorum Astrologorum, objecta frivola & experientiæ repugnantia.

Liceat mihi cramben recoctam apponere. Ego firmiter credo conjecturis haud frivolis fretus, omnia præfagia de futuris contingentibus, neutiquam prodire à certâ syderum copulâ, cum nihil agat supra vires suæ speciei & talis facultas illis à S. D. haud insita: Sed cum Ægyptii & Chaldaei, olim superstitioni & artibus Magicis, quibus ipsa etiam Astrologia merito est accensenda, fuerint addicti, si quid veri prædictum, ope dæmonum revelatum. Cum duplex cum illis pactum constituendum, implicitum, vel expressum. Ita duplicis sortis Astrologi comperiuntur, alii manifestum habentes cum dæmone commercium: & hujus re-

velatione futura cognoscetes, ea ex astris se cognovisse, comminiscuntur, quò ipsorum impietas lateret in tenebris. Alii Astrologi, etsi alias pietatis studiosi, sed veterum observationibus freti posteritati relicti, ex in suas prædictiones depromunt, putantes, illa vaticinia proficisci à scientiâ sydereâ naturali, se ipsos decipiunt ac fallunt, dum præceptis illis nitentes, themata natalitia erigunt, opere ipso demonstrant, ea procedere ex pacto implicito, occultâ dæmonis inspiratione, vel potius, si definito die præfagia contingant, ipso authore ac impulsore, ne mendax comperiat, Deo connivente ac permittente, ad puniendos tam curiosos & temerarios Fati sui avidos: indubium, quin in prædicta mala haud incidissent, si vates non consulissent. Si prænarrata exempla justo ponderanda judicio, rem ita se habere, impartialis censor facile deprahendet (intellectam velim judicariam seu vaticinam.)

EPISTOLA XX.

*Taxatio supina quorundam Pharmacopæiorum negligentia
& crasse ignorantia, quàm ea sit detrimetosa.*

Uam periculosum & damnosum sit Tyronibus Pharmacopæis Medicorum recepta dispensanda committere, memorabili exemplo libet monstrare. Cum ante complures

annos, quidam J. U. Doctor Sturgardii, in itatu sanitatis, nulli morbo obnoxius, sed præservandi tantum causâ, à Medico expeteret evacuationem corporis, ante venæsectionem ordinandam, is præscripsit apozema